

Hinc ferta, emeriti decus *Triumph*i,  
 Vincenti *Macedo* parat phalangi.  
 Hinc Boio quoque vertici coronam,  
 Hinc posset meritum dicare fertum;  
 Ni *Germania* ferre tam remotis  
 Mallet ferta propinquiora fertis.  
 Donat pilea: sic DVCEM decebat;  
 Qui fecit Patriam esse Pileatam.

Quod si ex eâ, quam hucusque experti sumus, fortunâ de sequenti etiâ ominari licet; possumus non temere super implorantis Patriæ fortunâ identidem diuinare, quæ cum VIRTUTE TVA etiam ipsa perennet. Neque maiorem hucusq; fructum tulerit, quam deinceps polliceatur. Agnoscent posterî; nos præcipimus patriæ felicitatem, quæ à TVA VIRTUTE sumat incrementum multò maximum. Ex quo omine

SPES PATRIAE  
 ET  
 VIRTUTIS  
 PRAEMIUM VIII.  
 MALO  
 ASSYRIO

Innascitur, fecundissimo fructu, quem per singulas omnino diei horas dispensat, vt non maius excerpti *Pomi* gaudium sit, quam spes deinde subnascentis. Credas coeli vertiginem modico *Pomi* ambitu coërcitam, & quæ horarum discrimina tanto opere natura seposuit, in vnius *Mali* corticem, velut microcosmum aliquem compacta latere